



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

liij. Ad accipitrem difficulter audientem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

acu pertinui & acuta sigillatim vnum-
quenque vermem detrahunt & sanant.

*Ad oculorum pituitam spumeam
& glutinosam.*

ACCIPITRI, cuius ex oculis spumea
quædam pituita erumpit, subrumum
catulum concisum, adhuc calentem, per
biduum, aut triduum edendum præbeto.
Ac si glutinosa lacryma albuginem oculo
offundit, pelle serpentis exusta oculus est
illinendus, tum sale ammoniaco in sputo
liquata inungendus: deinde accipitri
cornix danda.

Ut accipitri sanguis mittendus sit.

SI vis accipitri sanguinem detrahere, in
scaueam includito, & cum vtriusque
pedis venæ eminent, ex cruribus plumas
euellito, itaque sanguinem detrahito.
Sin minus venæ apparent, primi digiti
venam ferias. hoc facito, cum noxiis hu-
moribus redundat, & in morbum cecidit.

Ad accipitrem difficulter audientem.

PIPERIS albi, & longi æquales portio-
nes tundas & cribratas cum carne da

accipitri edendas per triduum, & tibi obediet vocatus.

Ad eum qui ex fumo agrotat.

EX fumo agrotare incipientem cognosces, cum videbis tristem, & præter consuetudinem obstipum & graue caput deferentem, alas frequenter pendentem, palbebram inferiorem humoris plenam habentem, sese affricantem perticæ, aut homini gestanti, aut vnguibus suas nares vellicantem. Promptum remedium primum est, si ipsum abstrahas à causa lædente, nimirum fumo; deinde veteri vino frequentius eius oculos foueas. Sin diuturno fumo iam afflictus est, allij exiguum cum veteri vino contusum, per pinnam eius naribus infundes. Hoc idem facit opobalsamum naribus instillatū, & garum quàm optimum cum vino & rosaceo ex æquo commistum, per pinnam illitum naribus & palato. Quod vbi feceris, in sole per horam ipsum colloca, atque eundem pasce carne neruosa, & pristinae valetudini restitueris.

F iij